

aliquod esse reale, quo res, quæ per illam actionem immediate fit, extra causas constituitur, quod non potest esse nisi esse existentia, ut ex superius dictis patet, et a citatis auctoribus, cum quibus disputamus, concedi necesse est; aiunt enim ibidem, existentiam esse id, quo formaliter res extra suas causas actualiter esse intelligitur, et probabile putant, existentiam dictam esse ab *extra sistere*, quia per existentiam res sistit extra potentialitatem causarum.

13. Potestque in hunc modum declarari et confirmari, nam per illam actionem primam, quæ propria dicitur causæ secundæ, educitur forma de potentia materiæ; hoc enim est munus et hæc actio naturalis agentis, ut ex 1 Physic., et ex dictis supra, disputat. 15 et 18, satis constat. Non potest autem intelligi eductio de potentia, quin id, quod educitur, quasi extrahatur a potentialitate, in qua antea erat, et in actum reducatur; non reducitur autem in actum nisi per esse, ut supra ostensum est, et ideo generatio, ut generatio, terminatur ad esse, ut dicitur 3 Physicorum, cap. 1; ergo ex vi illius actionis causæ secundæ datur effectui ejus aliquod esse existentia; ergo superflua est alia actio solius Dei. Patet consequentia, tum quia necesse est, priorem actionem causæ secundæ esse etiam a Deo, quia omnis actio causæ secundæ essentialiter pendet a prima. Unde fit, etiam illud esse, quod per talem actionem datur, fieri a Deo. Ad quid ergo necessarium est ut Deus aliud esse conferat? Tum etiam quia non repugnat Deum suspendere omnem aliam actionem, quam se solo facturum erat; si enim illæ actiones sunt distinctæ, cur non poterit Deus posteriorem suspendere? Vel certe (quidquid sit de possibilitate), licet concipiamus ita fieri, nihilominus intelligimus, ex vi prioris actionis formam esse eductam de potentia materiæ, et actu illam informare, et consequenter aliam formam esse exclusam, et totam existentiam alterius rei corruptam; ergo etiamsi intelligamus omnem subsequentem actionem suspendi, nihilominus intelligemus, ex vi hujus primæ actionis actu esse genitam, et extra causas; ergo etiam intelligitur ex vi ejusdem actionis recepisse existentiam; ergo supervacanea est omnis alia actio.

14. Tandem declaratur in hunc modum, nam aut effectus recipit per illam actionem aliquod esse reale, vel non. Si nullum recipit, quomodo esse potest actio realis, cum

omnis actio tendat ad esse? nam ubi non est esse factum, nec potest esse fieri. Ubi autem non est fieri, neque est facere, et consequenter neque est actio realis. Nec satis est si dicatur, in eodem instanti, quo est illa actio, dari esse effectui per aliam actionem; nam hinc solum fit ut concomitanter cum priori actione detur esse effectui, non vero quod per illam detur aliquod esse; de ratione autem realis actionis non est, ut cum illa, sed ut per illam detur aliquod esse, quia alias per illam nihil fiet aut factum erit. Si autem per illam actionem fit aliquod esse reale, interrogo rursus an illud sit esse existentia, vel essentia. Si primum, habetur intentum. Si secundum, ulterius rogo an illud esse sit in potentia tantum, et hoc dici non potest, quia hoc esse nihil est in re facta, neque est denominatio ab actione, sed a potentia agendi, ut supra ostensum est; est ergo illud esse actuale, ac novum seu temporale, quia illud denuo habet effectus in se, et extra causas suas; nihil ergo illi deest ut sit esse existentia. Et confirmatur, ampliusque urgetur hoc ipsum, nam de illa actio, quæ est a causa secunda, interrogari potest an sit existens in rerum natura, necne, ut a causa secunda progreditur; actio enim suam proportionatam existentiam habet, sicut alia accidentia; non potest autem vel mente concipi, quod actio sit egressa ab agente, et non sit suo modo existens, quia neque actualitas actionis esse potest major, neque aliter intelligi potest esse extra causas suas. Item, quia alias oportet fingere aliam actionem solius Dei, per quam illi actioni detur existentia, quod omnino ridiculum est; sicut enim ad actionem non potest esse alia actio, ita neque ad esse actionis, et quia actio et esse actionis dicunt habitudinem ad idem principium, sicut in universum accidens et esse accidentis dicunt habitudinem ad idem subjectum, nam forma et esse formæ, proportionem servant inter se. Quod si illa actio, ut progreditur a causa secunda, est existens, jam inde imprimis colligimus, aliquod esse existentia manare a causa secunda, nimirum existentiam actionis ejus. Deinde concludimus, per illam actionem fieri esse existentia in termino ejus, quia actio existens, ut sic, terminatur ad rem existentem ut sic; totum enim esse, quod est in actione, quaecunque illud sit, tendit ad terminum, et tale esse respondet in termino in facto esse, quale est in actione in fieri. Si ergo causa secunda veram actionem realem

et existentem exercet, per illam communicat effectui esse existentia, et consequenter supervacanea est illa alia actio, quæ dicitur esse a solo Deo.

15. Atque hæ rationes obiter notandæ sunt, nam ex eis, ut existimo, manifeste concluditur in universum, omnem realem actionem et efficientiam formalissime tendere ad dandum aliquod esse existentia suo intrinseco termino, nam si recte applicentur, æque procedunt de omni actione. Et inde ulterius confirmatur identitas inter existentiam, et actualem essentiam; nam quæ eadem formali actione simul omnino ponuntur et destruuntur, idem in re sunt, ut in superioribus tractatum est; sed hoc modo se habent existentia et essentia; ergo in re non distinguuntur. Deinde, iisdem rationibus ostenditur, impossibile esse quod aliqua causa effective disponat subjectum ad aliquam existentiam recipiendam, non dando illi aliquam existentiam, tum quia in universum ostensum est, non posse esse actionem realem, quæ non det existentiam; tum etiam quia illa dispositio, quæ antea erat in potentia, per illam actionem est actu; habet ergo suam essentiam in actu, et hoc est existere. Quod argumentum non solum simpliciter, sed etiam ad hominem est efficax contra dictos auctores; nam ipsi aiunt, propriam passionem posse manare ab essentia, quia supponit essentiam in actu; existentiam vero non posse manare ab essentia, quia oportet supponere essentiam in actu, quod repugnat existentia. Simili ergo modo nos dicimus, repugnare essentiam disponi effective ad existentiam, quia oportet supponere essentiam in actu; nam effectio non versatur circa essentiam in potentia, sed circa essentiam in actu.

16. Ultimo ostendo, falsam esse illam doctrinam ex parte alterius actionis, quæ soli Deo tribuitur, ut per illam solus efficiat existentiam. Et interrogo an illa actio sit propria creatio, vel eductio actus existendi de potentia subjecti seu essentia; nam inter hæc non potest medium excogitari. Non potest autem dici actionem illam esse propriam creationem. Primo, quia inde sequitur omnem existentiam creatam esse subsistentem, et independentem in esse et fieri ab omni receptivo. Quod prædicti auctores in universum putant esse impossibile, et saltem constat esse falsum in existentia accidentium, et formarum materialium. Secundo, quia si existentia non distinguitur ab essentia, clarum est non

posse ipsam creari, si essentia non creatur; si autem distinguitur, saltem est certum existentiam non posse naturaliter fieri neque esse nisi in essentia sua, et actuando illam; dependet ergo ab illa in fieri et in esse; ergo, quando fit connaturali modo, non fit per creationem. Tertio, quia alias oportet adungere tertiam actionem, qua existentia uniretur essentia, sicut in generatione hominis, quia anima proprie creatur, præter creationem ejus, et aliam actionem accidentalem, qua disponitur seu organizatur corpus, necessaria est tertia actio substantialis, qua anima uniat corpori, quæ est propria generatio; hanc autem multiplicationem actionum in præsentia fictam esse et superfluum, a fortiori probatur ex dictis, et quia nullus philosophus hactenus eas excogitavit.

17. Si autem altera pars eligatur, nimirum, illam actionem non esse creationem, sed eductionem, sine causa tribuitur soli Deo, et non etiam causæ secundæ. Probatur consequentia, quia talis actio neque ex modo quo fit, neque ex termino ad quem tendit, superat vim agentis creati. Primum patet, quia est actio ex præsupposito subjecto; hic autem modus agendi non excedit vires agentis creati. Secundum patet, quia quidquid est in termino seu effectui illius actionis, non excedit perfectionem agentis creati. Quod enim quidam aiunt, esse existentia esse quid perfectissimum, et ideo non posse fieri ab agente creato, nullius momenti est, nam, licet esse existentia, ut sic et ex suo genere, sit fortasse summa perfectio (quod postea videbimus), tamen hoc esse existentia, quod fit in igne, vel in aqua, verbi gratia, non est perfectissimum, nec perfectius quam sit simile esse in igne vel in aqua generante; ergo ex nullo capite excedit perfectionem agentis creati actio productiva existentia. Et confirmatur, nam alias agens creatum neque efficere existentiam sui effectus, neque unionem existentia cum essentia, ut prior opinio dicebat. Probatur sequela, quia quando forma vel actus fit per eductionem de potentia subjecti, seu receptivi, eadem actione fit et unitur, quia non fit sine materiali concursu subjecti, et subjectum non potest concurrere nisi media unione, ut in superioribus, et in primo tomo, in tertia parte, latius declaratum est; ergo si existentia non fit per creationem sed per eductionem, eadem actione unitur qua fit; ergo si causa secunda non facit existentiam, neque etiam unit illam.

18. *Directe ostenditur assertio nostra.* — Atque ex his tandem, quibus et fundamenta primæ sententiæ, et modus explicandi illam improbata sunt, est facilis directa probatio assertionis nostræ. Primo, quia unica et eadem actione fit res existens et existentia ejus, ut ostensum est; sed causæ secundæ efficiunt suos effectus reales et existentes; ergo efficiunt existentias eorum. Secundo, quia omnis vera efficientia terminatur ad aliquod esse existentia, ut etiam probatum est; sed causæ secundæ vere efficiunt aliquid; ergo vere efficiunt in suis effectibus esse existentia. Tertio, et maxime a priori, quia existentia non distinguitur in re ab essentia actuali; sed causæ secundæ per suam efficientiam extrahunt formas, seu essentias quas produunt, de potentia in actum, et ita dant illis aliquod esse actuale seu entitatem essentia actualis; ergo dant illis existentiam.

19. Dico secundo: existentia rerum quæ generantur et corrumpuntur, non solum fiunt a causis secundis, ut ab instrumentis, sed etiam ut a causis principalibus proximis, et in universum ita fiunt existentia ab his causis, sicut essentia. Hanc assertionem nobiscum ex parte docent auctores primæ sententiæ, quatenus negant, causas secundas esse instrumenta proprie dicta ad producendam existentiam. Quæ pars intelligenda est respectu omnium causarum, quæ sunt principales in producendis effectibus quoad esse essentia. Nam si in hoc etiam sint tantum instrumenta, ut est calor, verbi gratia, ad productionem ignis, vel semen ad productionem animalis, nil mirum est quod sint etiam instrumenta ad producendas existentias talium effectuum. Imo id est necessario consequens juxta ultimam partem conclusionis, et ideo conclusionem proposui sub illis verbis, scilicet, causas secundas in efficiendis existentis non tantum esse instrumenta, sed etiam principales causas, ut hæc ad diversas causas referantur, et sit veluti accommodata (ut Dialectici loquuntur) distributio; non enim eadem causæ utramque rationem habent, sed diversæ. Sic ergo explicata hæc pars non aliter probatur a dictis auctoribus, nisi quia absurdum videtur, ut causa secunda ejusdem effectus sit principalis et instrumentalis. Adhuc deinde, voluntarie dici, Deum conferre causis secundis virtutem fluentem et instrumentalem, qua producant existentiam. Sed non video cur ipsi possint illud primum reputare absurdum, cum dicant in eodem ef-

fectu creato esse essentiam et existentiam, et illam fieri ab agente secundo, ut a causa principali, hanc vero fieri a solo Deo. Si ergo in eodem effectu sint res distinctæ, quæ diversis modis dicuntur fieri a Deo, scilicet, vel se solo, vel per causam secundam, cur non poterunt etiam fieri diversis modis a causa secunda, scilicet, ut principali agente et ut instrumento? Aut, si actiones, per quas fiunt essentia et existentia, sunt diversæ, quid absurdi est quod idem agens proximum, quod propria et principali virtute alteram elicit, assumatur ut instrumentum ad efficiendam alteram, si similem virtutem principalem ad illam exercendam non habet? Non est enim inusitatum quod agentia naturalia instrumentaliter operentur, quando non possunt principaliter.

20. Quocirca, supposita illa doctrina, non potest satis efficaciter impugnari hæc alia de actione instrumentali. Tamen, ex principio posito in præcedente assertionem, evidenter infertur hæc secunda. Nam actio, qua fit effectus causæ secundæ, eadem terminatur ad esse existentia illius; ergo quocumque causa secunda est in suo genere principalis respectu sui effectus, necesse est ut eodem modo efficiat existentiam ejus, quia non potest respectu unius et ejusdem actionis et termini esse causa principalis et instrumentum. Secundo, quia causa secunda effective concurrat ad existentiam sui effectus, ut concedunt qui admittunt illam esse instrumentum; nam causa instrumentalis vere efficit; sed talis effectus non excedit virtutem talis causæ, ut jam probatum est, quia neque in perfectione rei quæ fit, neque in modo quo fit; ergo efficit ut causa principalis, et non ut instrumentum, nam causa principalis illa dicitur, quæ agit propria virtute accommodata et proportionata effectui. Tertio, quia non ob aliam causam producit ignis, verbi gratia, ignem secundum esse essentia seu formam ignis, ut principalis causa, nisi quia effectus non excedit virtutem causæ, neque in se, neque in modo quo ab agente fit; sed idem est de existentia talis effectus; ergo. Quapropter etiam posita distinctione reali inter existentiam et essentiam, non video qua probabilitate possit hæc assertio negari. Est autem multo evidentior, supposita identitate existentia et essentia actualis, in qua ultima pars conclusionis fundatur, quia, si hæc in re sunt idem, non possunt ab una et eadem causa diversis modis fieri simul et una ac-

tione. Item quia efficere rem seu essentiam actualem, nihil aliud est quam illi dare existentiam, ut satis declaratum est; ergo non potest agens proximum esse causa principalis unius, et instrumentalis alterius.

*Qua peculiari ratione tribuatur Deo effectio existentia.*

21. Dico tertio: in efficienda existentia aliquid proprium habet Deus, in quo superat creaturas; eundem tamen excessum habet in efficienda essentia creaturæ. Prior pars ponitur, ut intelligantur et concilientur diversa loca D. Thomæ supra citata. Et in hunc modum declaratur: nam imprimis objectum adæquatum divinæ virtutis est ens creatum in quantum tale est, quod non potest esse adæquatum objectum alicujus virtutis creatæ, cum non possit efficere seipsam, neque excellentiorem se; proprius autem et adæquatus actus entis est esse, et ideo Deus per se primo confert esse, ut sic, creatura vero solum facit hoc vel illud esse. Non quod vel Deus non efficiat in omni esse omnem determinatam rationem ejus, vel quod, cum creatura efficit aliquid esse, non efficiat in illa omnem communem rationem essendi, quæ a nobis abstrahi potest; hæc enim impossibilia sunt, ut per se constat; sed quod ratio, sub qua Deus attingit illum effectum, et adæquata virtuti ejus, sit ipsum esse ut sic; respectu vero creaturæ sit tale vel tale esse.

22. Secunda differentia est, quia Deus potest conferre creaturæ totum esse, et totaliter, ut sic dicam; creatura autem, non tam potest dare totum esse, quam complere vel perficere inchoatum, adjungendo esse partiale vel accidentale. Hanc differentiam attingit Cajetanus, 1 p., quæst. 8, art. 1; quia vero ipse non admittit in substantiis esse partiale aut totale, sed solum unum esse simplex totius suppositi ideo, eam declarat per causas vel condiciones ad existendum requisitas, nam solus Deus efficit in re totum id quod necessarium est ad existendum; nam si res sit immaterialis, solus Deus facit totam rei substantiam; si autem sit materialis, saltem efficit Deus solus materiam. Quæ expositio veritatem habet; nos vero consequenter addimus, in omni re creata esse aliquid existentia, seu aliquam existentiam totalem vel partialem, quæ a solo Deo fit; nullam vero esse quæ a creatura fiat sine Deo, et hoc modo dicimus, Deum efficere totam existentiam totaliter. Dicimus etiam solum Deum in

omni re ponere primum fundamentum existentia, sine quo creatura non potest aliquid existentia efficere. Et ratio est, quia omnis efficientia terminatur ad existentiam, ut probavi; in omni autem effectu creaturæ supponitur aliqua efficientia solius Dei; ergo et aliqua existentia ab ipso facta. Minor simili inductione probatur, nam ut creatura efficiat existentiam accidentis, supponit existentiam substantia, quæ, si spiritualis sit, a solo Deo facta est; si vero sit materialis, saltem habet materiam a solo Deo. Unde, si creatura efficiat esse substantiale, etiam supponit materiam effectam a solo Deo, et consequenter sub aliquo esse existentia, ad quod illa effectio solius Dei terminetur.

23. Tertia differentia hinc sumitur, quod Deus facit existentiam ex nulla re creata præexistente, creatura vero nunquam dat esse nisi ex præsuppositione alterius esse. Unde fit ut etiam hac ratione dicatur Deus per se primo facere esse ut sic, creatura vero non nisi ut est tale, nam, ut cum Aristotele diximus tractando de causis, effectus dicitur per se primo fieri, secundum eam rationem entis, quæ ex parte ipsius effectus non præsupponitur; ut cum generatur ignis ex aere, per se primo fit ignis, non vero elementum aut corpus, quia hæ rationes jam præsupponebantur in aere. Secundum has ergo rationes Dei proprias, dicit interdum D. Thomas Deum esse propriam et per se causam ipsius esse, non vero excludit propriam efficientiam causarum secundarum circa particulares existentias suorum effectuum, ut ex aliis suæ doctrinæ locis supra satis manifestatum est.

24. *Eo modo ad productionem essentia concurrunt creaturæ, quo ad productionem existentia.* — Ex his vero rationibus, si recte ponderentur, manifestum est has differentias non solum intercedere in effectione existentia, sed etiam in effectione essentia, etiam si fingamus eas esse distinctas. Probatur, nam etiam solus Deus est effector omnis essentia creabilis, et consequenter solus ipse respicit essentiam factibilem, ut sic, tanquam objectum adæquatum, et per se primo factibile ab ipso. Similiter solus Deus facere potest, ut proprium et principale agens, totam rei essentiam, totaliter seu secundum id totum, quod talem essentiam intrinsece componit, vel aliquo modo constituit in esse essentia actualis, ut patet ex eadem inductione; nam, si essentia sit spiritualis, solus Deus illam fa-

cit; si vero sit materialis, saltem quoad materiam fit a solo Deo, et secundum illam supponitur ad actionem causæ secundæ, quæ, ad summum, addit alteram partem essentiæ, et ita consummat illam. Dices: esto ita sit in substantiis, non tamen in accidentibus, quia subjectum non est pars essentiæ formæ accidentalis, et ita causa secunda omnino efficit totam essentiam accidentis. Respondetur, idem dici posse de existentia accidentis, quia etiam subjectum, vel existentia subjecti non est pars ejus, et utrumque applicari potest ad formam substantialem, quia etiam materia non est pars ejus. Unde vel dicendum est, sermonem esse tam de essentia quam de existentia completa, nam illa quæ incompleta est, vel fieri non potest ab agente naturali, ut materia prima, vel, si fieri potest ab agente naturali, supponit aliam partem essentiæ factam ab alio, ut substantialis forma; aut certe si sit minoris entitatis, ut est accidens, supponit substantialem essentiam, a qua naturaliter pendet, et quamvis non sit de essentia talis formæ in abstracto sumptæ, pertinet tamen aliquo modo ad essentiam ejus. Secundo vero dicitur, sicut non generatur proprie forma substantialis, sed compositum, ita nec fieri proprie formam accidentalem in abstracto, sed ipsum coneretur, quod ex subjecto et forma intrinsece componitur. Atque in hunc modum talis effectio supponit aliquid, ex quo intrinsece constat ipse effectus, sive in esse essentiæ, sive in esse existentie consideretur.

25. Atque hinc etiam facile applicantur aliæ differentie; nam solus Deus facit essentiam, nulla præsupposita essentia, et consequenter solus ipse facit per se primo essentiam creatam, ut talis est. Dicitur fortasse, licet Deus faciat esse existentie ex nulla existentia, quia facit ex nihilo, non vero facere essentiam ex nulla essentia, seu ex nihilo essentiæ, quia, nisi essentia supponatur, non potest intelligi quod res sit factibilis a Deo. Qui vero sic respondent, plane in æquivoco laborant, nam, si per essentiam intelligant rem in sola potentia objectiva, nos de illa non agimus, quia illa ut sic nihil est, neque vere fit aut est terminus effectiois, nisi fortasse dicatur terminus a quo, quod nil refert, quia eodem modo dicitur existentia fieri a Deo ex non existentia in actu, et ex existentia in esse potentiæ et objectivo; quia, nisi existentia esset possibilis, et ut talis præcognosceretur a Deo, non potuisset ab eo

fieri. Si vero loquamur de essentia actuali, quæ vere sit aliqua entitas extra Deum, falsissimum est non facere Deum essentiam creatam simpliciter et absolute ex nulla essentia, quia nec facit creatam essentiam ex suamet essentia, cum id sit impossibile; sunt enim essentiæ primo diversæ; neque ex alia essentia extra suam, cum necesse sit omnem illam ab ipso creari. Constat igitur, eandem eminentiam et singularem rationem habere Deum in efficienda essentia, quam habet in efficienda existentia. Quod etiam necessarie sequitur ex identitate essentiæ actualis, et existentie, juxta ultimam partem præcedentis assertionis. Nam, sicut ex illo principio ibi inferebamus, essentiam et existentiam eodem modo fieri a causa secunda, ita hic dicendum est, eodem modo fieri a causa prima; est enim eadem omnino ratio, atque hæc eadem doctrina de eadem efficientia existentie et essentiæ creatæ confirmat doctrinam superius datam de identitate earum inter se.

## SECTIO X.

*Quos effectus habeat existentia, et in quo differat in hoc ab essentia.*

1. Explicatis causis existentie, opportune sequitur tractatio de effectibus ejus, quoniam ex eis sumi etiam solent ab aliquibus indicia alicujus distinctionis realis vel ex natura rei inter essentiam et existentiam; nos autem, e contrario, existimamus, hinc posse confirmari doctrinam de identitate earum.

*Exponitur questionis titulus.*

2. Potest autem comparari existentia in ratione causæ vel ad essentiam cujus est existentia, vel ad res alias; hic non agimus de priori comparatione, sed de posteriori; nam de priori satis dictum est in superioribus, et omnes in hoc conveniunt, quod existentia respectu essentiæ existentis habet rationem actus, et causam formalem imitatur. Omnesque similiter docent, non esse proprie et in rigore formalem causam. Quod nos facillimo negotio declaramus, quia propria causa formalis distinguitur ex natura rei a subjecto, in quo suum effectum formalem habet, et cum eo facit veram et realem compositionem; existentia vero ex natura rei non distinguitur ab essentia, et ideo non potest esse vera forma, neque actus physicus, sed metaphysicus, et modus ita intrinsecus, ut non distinguatur a re quam modificat, sicut differentia est actus

generis, et non est proprie forma ejus. Qui autem sentiunt existentiam ex natura rei distingui ab essentia, difficilius id declarant; tamen qui dicunt non distingui realiter, sed modaliter tantum, dicere possunt modum rei latius patere quam formam, quamvis se habeat per modum actus aut formæ. Habentque exemplum subsistentie, quo id declarent; est enim subsistentia modus naturæ ex natura rei distinctus ab illa, non tamen proprie forma, cum neque sit accidens, nec possit esse forma substantialis, cum supponat integram et completam substantialem naturam, quam modificat, ut latius infra dicemus. Ad hunc ergo modum loqui debent hi auctores de existentia. Qui vero existimant, actum existentie esse rem realiter distinctam ab essentia, difficilius possunt rationem reddere, cur non sit proprie forma. Tamen etiam uti possunt argumento facto, quia non est forma accidentalis, ut ostensum est, et substantialis esse non potest, cum supponat perfectam et completam formam. Item, quia alias formaliter constitueret ipsam essentiam et naturam. Item est argumentum theologicum, quia juxta eam sententiam actus existentie potest suppleri absque informatione; sic enim aiunt Verbum supplere existentiam humanitatis, cum tamen illam non informet; ergo existentia naturæ creatæ ex vi modi actuandi illam non petit ut sit vera forma. Nec vero id habet ratione suæ entitatis, quia non est accidens; ergo non est proprie forma, sed est quidam ultimus terminus et actus essentiæ. Dicitur tamen imitari formam, quia est id quo essentia sub tali ratione constituitur, et quia illam ultimate terminat, et de potentia in actum reducit, sicut punctus dici potest comparari ad lineam per modum formæ, quatenus constituit illam terminatam, sub qua ratione actuatur illam; non tamen est propria forma.

3. Potest vero objici, quia essentia est causa materialis existentie; ergo existentia est causa formalis; nam hæc duo quasi correlative se habent. Respondetur in nostra sententia negando antecedens. Alii vero dicere consequenter debent, cum eadem proportione, essentiam imitari quidem causam materiale et receptivam, non tamen esse proprie et in rigore materiam vel subjectum. Semper tamen eis relinquatur explicandum, quis sit hic effectus formalis, seu quæ formalis actualitas, quam det existentia alteri rei a se distinctæ, cum non possit esse ipsa actualitas entitativa, et omnis alia superaddita

et distincta a subsistentia vel inhærentia, nec possit esse necessaria, nec intelligibilis, ut in superioribus fuse ostensum est.

4. Proprius ergo sensus hujus dubitationis est de effectibus et causalitate quam existentia circa res alias habere potest, vel potius res existens ratione existentie. Et potest versari quæstio in omnibus generibus causarum. Omittamus tamen nunc causam finalem, eo quod ejus causalitas valde intentionalis sit, propter quod est philosophicum dogma ab omnibus receptum, finem, ut causet, non requirere actualem existentiam, quia solum metaphorice movet ut apprehensum, ideoque sufficit illi esse objectivum in intellectu. Quanquam finis revera non causet nisi in ordine ad suam existentiam, et ea ratione posset attribui existentie boni apprehensi causalitas finalis; existentie (inquam) non jam exercitæ, sed apprehensæ in ipso bono, quod habet rationem finis, quia bonum non movet, nisi prout est in re, aut esse vel futurum esse vel posse esse apprehenditur, de qua re satis in superioribus dictum est disputatione vigesima tertia.

*Possitne existentia causalitate formæ aut materiæ quippiam causare.*

5. *Prima sententia.*—De causalitate igitur materiali et formali fere omnes, qui distinguunt realiter vel ex natura rei existentiam ab essentia, dicunt, existentiam formaliter ac proprie nunquam exercere circa aliam rem munus causæ formalis, vel materialis; imo neque esse conditionem per se necessariam et ordine naturæ antecedentem ad causalitates harum causarum, quamvis secundum durationem temporis sit conditio necessaria, et secundum ordinem naturæ consequens ad prædicta causarum genera. Declarantur hæc et probantur simul. Nam materia prima, verbi gratia, non recipit formam per existentiam suam, sed per entitatem suæ essentiæ, nam potius ipsa, mediante forma, recipit existentiam, et similiter substantia non recipit accidentia in sua existentia, sed in entitate essentiæ; ut in Christi humanitate, si intelligamus eam existentem per increatam existentiam Verbi, intelligimus accidentia humanitatis reperi in ipsa secundum entitatem essentiæ, et non in increata existentia Verbi. Et ratione potest probari hæc pars, quia existentia ut sic dicit rationem actus, et non potentie, propter quod a multis vocatur actus ultimus; ergo existentia ut sic non potest esse

ratio recipiendi aliquid, quia hoc est munus potentiae; ergo nec potest esse ratio alicujus causalitatis materialis. Atque hinc constat altera pars de causa formali, nam hae duae causae se mutuo respiciunt, et proportionem inter se servant; si ergo materia non causat vel recipit per existentiam, sed per essentiam, nec forma informat per suam existentiam, sed per essentiam.

6. Ex quo ulterius necessario sequitur, has causas non indigere formaliter, neque secundum naturam ordinem, existentia ad causandum, quia materia non habet esse nisi per formam; ergo prius natura recipit formam quam existat; ergo etiam forma prius natura informat, quam ratione illius detur existentia materiae, vel toti composito; ergo etiam prius natura quam ipsa habeat existentiam, quia non habet illam nisi in toto composito. Quod saltem verum est in formis materialibus, nam anima rationalis prius quidem natura habet existentiam quam informet, id tamen non est propter necessitatem informandi, sed propter excellentiam talis rei. Et confirmatur de formis accidentalibus, quae sunt dispositiones ad formam substantialem, nam prius natura disponunt ad illam quam existant; disponunt enim materiam, et existunt in composito, et tamen disponere partim pertinet ad causam materialem, quatenus est quaedam determinatio materiae, partim ad formalem, quatenus coarctatio materiae ad hanc formam fit per informationem caloris vel alterius similis dispositionis ultimae.

7. *Refutatur.* — Hae doctrina consistere non potest cum fundamento posito de identitate essentiae et existentiae, et ideo, ut veritatem declarem, advertendum est, aliud esse loqui de re ipsa secundum se, aliud prout voce existentiae significatur, et ut concipitur abstracto et praeciso conceptu illi correspondente. Rursus est advertendum, aliud esse loqui de existentia ut sic, aliud de hac vel illa existentia; nam priori modo loquendo, manifestum est existentiam ut sic ex se non postulare causalitatem materialem vel formalem circa alteram rem; imo quo perfectior est existentia, eo magis abstrahit et separata est ab hujusmodi causalitatibus, ut constat non solum de existentia Dei, sed etiam de existentia angelica, et de quacunque completa substantiali existentia. Agimus ergo, de existentia in tota sua latitudine, an, scilicet, intra illam sit aliqua existentia, quae hujusmodi causalitatem participare possit; et

consequenter an ratio existentiae ut sic, liceat non requirat, permittat saltem hoc causalitatis genus.

8. Dico ergo primo: existentia actualis est omnino necessaria ad exercendam causalitatem materialem et formalem, non solum in duratione temporis, sed etiam in antecessione seu ordine naturae. Et primum quidem in duratione temporis omnes conveniunt; quia causalitas materiae vel formae, si ad compositum referatur, consistit in actuali et intrinseca compositione ejus; si vero referatur ad invicem, consistit in hoc quod materia sustentet formam, et forma actuet materiam, et ita sese mutuo foveant et conservent in esse. Non potest autem intelligi, quod hoc munus invicem exercent, vel totum componant, nisi actu existant; alioqui neque compositum actu existet, sed erit possibile, vel in esse objectivo, et similiter causalitas non erit in actu, sed in potentia et in esse objectivo.

9. Atque haec eadem ratio, si recte ponderetur, probat, existentiam rei, quae actu est causa materialis vel formalis, praerequiri ex intrinseca ratione talis causalitatis actualis; et consequenter non tantum in eadem duratione sed etiam in antecessione naturae esse necessariam. Primum quidem, quia, si causa actu causat, necesse est ut causalitas ipsa in rerum natura existat; ergo necesse est ut procedat a causa existente, ut sic; ergo non solum secundum temporis durationem, sed etiam secundum naturae ordinem praerequiritur existentia in causa ut ab ea procedat actualis causalitas. Primum antecedens probatur, quia si causalitas jam est in actu, ex hoc praecise est extra causam suam, quantum esse potest; ergo ex hoc etiam est existens. Caetera autem consequentiae sunt evidentes, quia non potest aliquid existens, nisi a re existente, realiter causari.

10. Secundo, quia creatura nihil potest realiter causare, nisi secundum ordinem naturae prius ipsa causetur, et fiat ab aliqua causa efficiente; ostensum autem in superioribus est, omnem efficientiam terminari ad aliquod esse existentiae, quia terminatur ad aliquod esse in actu extra causas; ergo etiam secundum ordinem naturae esse existentiae causae materialis et formalis supponitur causalitati earum. Major videtur per se evidens, quia creatura, dum non intelligitur causata seu effecta, non potest intelligi ut ens in actu, sed tantum in potentia; ut sic autem non potest intelligi actu causans. Quia si ipsa non

est extra causas, sed in earum potentia, quomodo potest aliquid extra causas constituere? Et, ut in particulari loquamur, et res sit evidentior, quomodo potest materia actu uniri formae, vel sustentare illam, si ipsa non est actu, sed in potentia tantum? non potest autem ipsa esse actu, si non sit actu effecta. Et similiter forma non potest actu informare materiam, nisi creata sit, vel de potentia materiae educta. Scio solere responderi, creari vel educi prius natura quoad esse essentiae. Sed jam supra demonstravi, hoc esse essentiae, cum non sit potentiale tantum, sed actuale, et extra causas, etiam esse verum esse existentiae, neque ens creatum requirere formaliter aliud esse ad existendum.

11. Tertio, quia actualis existentia materiae (et idem est de forma) necessaria illi est ad causandum in eodem saltem temporis instanti, ut omnes fatentur, et non est necessaria ut consequens causalitatem ejus, alioqui seipsam causaret, nam causaret suum esse; ergo est necessaria, ut antecedens causalitatem ejus ordine naturae. Patet consequentia, quia haec necessitas non est per accidens et ex mera concomitantia, alioqui impediri posset saltem per divinam potentiam, atque ita fieri posset ut materia esset actu unita formae, et forma materiae extra causam efficientem, et tamen quod nullam haberent existentiam; hoc autem nec mente concipi potest.

12. *Existentia materiae et formae est in re id per quod causant.* — Dico secundo: existentia materiae (et idem proportionaliter est de forma) in re ipsa est id per quod materia causat in suo genere; secundum modum autem significandi et concipiendi apprehenditur ut conditio necessaria, seu ut modus constituens rem in statu sufficiente ad causandum. Prior pars hujus conclusionis sufficienter constat ex dictis de identitate existentiae et actualis essentiae; materia enim non causat nisi per entitatem actualem suae essentiae; nam secundum eam est in potentia ad formam, et in ea recipit illam; sed in re essentia actualis materiae non differt ab existentia illius; ergo realiter recipit formam in existentia sua, seu in seipsa existente, ut existens est. Confirmatur et declaratur, quia neutra ex his causis exercet suum munus seu causalitatem, nisi in quantum est ens actu, prout, scilicet, ens actu distinguitur ab ente in potentia objectiva; sed hujusmodi ens actu formaliter et intrinsece constituitur per esse

existentiae, ut supra probatum est; ergo utraque ex his causis causat actu prout constituta per esse actualis existentiae; illa autem constitutio est per omnimodam identitatem in re, ut ostendimus; ergo causat in quantum est suamet existentia.

13. *Objectioni satisfi.* — Dices, materiam non causare in quantum ens actu, sed in quantum est ens in potentia. Respondetur, in his vocibus esse magnam aequivocationem, tum a potentia receptiva ad objectivam, tum ab ente simpliciter seu completo ad ens secundum quid, seu parziale. Materia igitur causat quatenus est in potentia receptiva formae, et consequenter causat quatenus formam materialem continet aliquo modo, scilicet, in potentia passiva, et ideo etiam dici potest esse ens simpliciter et completum, non in actu, sed in potentia. At vero non causat quatenus habet esse materiae (quod est esse parziale et secundum quid) in potentia, sed in actu, et ita non causat prout in suo gradu est ens in potentia objectiva, sed ut in actu. Et hoc modo esse ens in actu, id est, extra causas, et extra nihil, et esse in potentia receptiva alterius actus, non sunt opposita, sed potius per se subordinata; non enim potest potentia esse in proxima aptitudine, seu in statu in quo apta sit ad recipiendum suum actum, nisi ipsamet aliquid habeat actuale entitatis, cum potentia ipsa realis ens reale et extra causas esse debeat, quae omnia supra, disp. 13, late tractata sunt. Et confirmatur tandem haec pars, nam causa debet esse proportionata effectui et causalitati suae; sed causalitas materiae vel formae, eo modo quo ab ea progreditur, est aliquid existens extra causas, et terminatur ad rem prout est aliquid extra causas, ut supra ostensum est; ergo etiam ipsa causat, ut existens est; ergo causat quatenus in re est suamet existentia.

14. *Existentia a nobis non concipitur nisi ut modus ad causandum requisitus.* — Altera conclusionis pars, quae solum spectat ad modum concipiendi et significandi, declaranda est ex dictis supra, de distinctione rationis inter essentiam et existentiam; significatur enim existentia hac voce ut praecisa, et ut ratione distincta ab essentia; ut sic autem non concipitur ut sufficiens ratio causandi aliquid extra essentiam cujus est existentia, sed solum ut ratio seu modus essendi ipsiusmet essentiae; neque enim potest forma vel materia causare, nisi suamet essentiam communi-